

No. 39. 1293. 12. Sept.

Schultheis, Burgermeister und Rath bewkunden die vom Landgrafen Dietrich zum Gedächtniss seines Sieges über den Markgrafen von Brandenburg in der Thomaskirche gemachte Stiftung.

Nos Symon scultetus et Martinus consulum magister atque rector, nos consules Theodericus de Pigautia dictus, Wilhelmus de Grimmis, Johannes de Mirica, Johannes de Grimmis, Johannes de Wurzin, Con. de Hallis, Hermannus de Wurzin, Hartmannus colorator, Johannes dictus Vurmann, Th. de Paris, Con. dictus Pellicium ac universitas civium civitatis Lipzk in praesentibus recognoscimus fideliter protestantes, nos litteras illustris principis domini nostri Theoderici iunioris lantgravii Thuringiae non concellatas non abolitas nec in aliqua sui parte viciatas vidisse et audivisse de verbo ad verbum sicut seriatim ostenditur in his quae sequuntur:

In nomine sanctae et individuae trinitatis amen. Theodericus dei gratia iunior lantgravius Thuringiae — Datum et actum Lipzk anno domini M°.CC°. nonagesimo tertio Kalend. Septembris. (No. 38).

Nos inquam volentes placere creatori altissimo et ad ipsius laudem et gloriam promotioni cultuum divinorum ferventer et efficaciter insudare, opus pietatis et caritatis beneficium sicut in praemissis satis lucide et clarius exprimitur a domino nostro glorioso principe supra nominato cum sollempni devotione ac devota sollempnitate humiliter et sollempniter ordinatum ut ad notitiam omnium successorum nostrorum usque in infinita secula seculorum perveniat, rationi dignum censuimus, seriem huius facti litterarum impressam apicibus et karactere sigilli nostrae civitatis communi de consilio perhennare. Et ne per temporis processum aut hominum malitiam haec nostra protestatio a labili memoria hominum excidat aut in oblivionem transeat futurorum, nomina testium qui his factis aderant infra scriptorum fecimus annotari, quorum nomina sunt haec: Johannes de Lubenitz, Symon Ekstete et Symon filius eius, Theodericus Karaz et Symon filius eius, Th. cellerarius et Heinricus filius eius, Th. monetarius, Thomas de Novo foro, Conradus de Nova civitate et Otto filius eius; Waltherus institor, Waltherus de Grimmis et Nicolaus frater eius, Conradus Stollo, Vricus Bawarus, Symon de Wida et alii quamplures fide digni. Datum et actum anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo tertio II. Idus Septembris.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit dem beschädigten Stadtsiegel an rothen und gelben seidenen Fäden.

No. 40. 1294. 30. Juni.

Schultheis, Burgermeister und Rath bezeugen, dass in Betreff der Anforderungen, welche Johannes der Sohn des verstorbenen Müllers der Angermühle an das Kloster erhoben hatte, ein gütlicher Vergleich mit dem Probeste erreicht worden ist.

Nos Symon scultetus et Martinus de Grimmis magister buriensium et Johannes de Lubenize, Symon Ecstete, Conradus de Nova civitate, Tilmannus cellerarius,